

Tota autem de eo Disputatio plena difficultatis est, quam tamen, quantum poterimus, superare conabimur. Subiectum Fulminis Nubes est, non tamen quævis, sed sulphureis nitrosisque effluviis imprægnata. Sulphur ad flammam concipiendam alendamque paratissimum est: igneas autem in se plurimas atomos complectitur, ligatas quidem, sed quæ allisione, quæ adspersione frigidi, quæ aliis modis facile solvi possunt. Si ergo sulphuri permixtum nitrum est, & tali aliquo modo contingit accensio sulphuris, (quæ omnium citissime fit, cum sulphureæ atomi à nube frigida compressæ sunt,) tunc nitrum, ob inimicitiam naturalem, quam exercet cum igne, quæ sanè maxima est, pugnare cum eo incipit, atque (falsum enim est, nitrum ullò modo accendi posse, cum sit salis aliqua species,) fugam sibi consulit. Fugam istam sequitur fragor, & violenta ignium ejectio: fragor quidem ex subita aëris percussione; ignium verò ejectio ex pugna. Hinc est, quòd certa quædam Fulminis Adjuncta esse dicantur, Fulgur scilicet, Tonitru & Lapis fulminaris. Atque priora quidem duo quomodo contingant, facile ex jam dictis constare potest, si modò duo adhuc observentur. Primum est, Fulgur modò cum, modò sine Tonitru accidere. Prius fit, quando multum nitri adest, posterius, quando materia maximam partem sulphurea existit. Alterum, quod observandum, est, prius conspicitur Fulgur, quam auditur Tonitru, quamvis ambo simul contingant. Quod quidem fit, cum ob temporis spatium, ad aëtis fractionem requisitum, tum ob varias ambages speciei audibilis, priusquam ad aurem perveniat. Sed de lapide fulminari, unde oriatur, res altioris est indaginis. Abundent per nos alii ingenio suo, nos statuimus, eum in nubibus generari, & ex his cum vi ad terram detrudi. Facili enim negotio cum Effluviis aliis succus lapidescens ex terris ad nubes deduci potest, quò præsentente non mirum est generari lapidem. Addimus tamen etiam hoc, non semper dari Fulmen cum lapide. Multi enim sunt Fulminum

B

plurimo-